



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. XVIII. Sitne visio Dei cognitio quidditatiua, & intuitiua Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

visio supernaturalis, etiam si in illo supponatur lumen, & huc comparatio fiat ad intellectum vt principium agens, siue vt recipiens. Primum patet, quia dictum est, intellectum, etiam quando cum lumine concurrat, operari ultra naturalem virtutem, per potentiam obedientialem actiuam, & vt instrumentum Dei. In quo differt hæc actio à calefactione procedente ab aqua calida, quia tota est à calore, vt principio connaturali. Secundo probatur ex parte principij passiuui, nam (vt dictum est) visio fit, & educitur de sola potentia obedientiali, intellectus. At vero si comparatio fiat cum toto composito: vix potest simpliciter responderi, sed sub distinctione: nam illud compositum mistum est, seu constans ex re naturali, & supernaturali. Placet tamen modus respondendi Caietani, quod ratione luminis ille actus dicatur connaturalis, quia lumen est veluti vltima forma constituens intellectum in actu primo, & ratione illius formæ debitum est, ipsi intellectui, vt eleuetur ad modum agendi, & recipiendi necessarium ad huiusmodi actum, & ideo intellectui sic eleuato simpliciter est connaturalis ille actus. Homini autem, vel Angelo simpliciter est dicendus supernaturalis, quia comparatur ad substantiam, cui absolute est supernaturalis, quia est supra omne debitum illius.

Circa posteriorem sensum, ille actus intellectus dicitur naturalis, qui non pendet à voluntate, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium, sed naturaliter manat, positus principij eius. Et quidem de specificatione nulla potest esse quæstio. Nam cum ille actus sit clarus, & euidentis, non potest aliter esse, quam sit, vnde clarum est, in illo esse necessitatem quoad specificationem. Tamen de necessitate quoad exercitium videtur esse posse aliqua ratio dubitandi. Quia intellectus natura sua pendet à voluntate in agendo, saltem quoad applicationem, & exercitium, sed in illa visione nulla intercedit specialis ratio, ob quam hic naturalis ordo mutetur, ergo. Confirmatur, quia intellectus non concurrat ad illum actum per facultatem naturalem, vt naturalis est, ergo ex parte intellectus, & naturæ eius, non potest actus ille habere necessitatem: nec vero ex parte Dei, qui est principale agens eleuans intellectum, quia Deus secundum se libere agit, & quando eleuat causam secundam ad agendum accommodat se naturæ eius.

Nihilominus dicendum est, illam visionem esse naturalem, id est, necessariam, etiam quoad exercitium. Sumitur ex D. Thom. 1. part. quæst. 10. artic. 5. ad 1. vbi ait illam visionem mensurari eternitate participata, quia est immutabilis ab intrinseco. Quod ibi Caietanus, & omnes Thomistæ sequuntur, & in 1.2. quæst. 5. ar. 4. Nec dissentiant alij Theologi, qui communiter docent, visionem illam mensurari, vel eternitate, vel æuo. Est etiam valde consentaneum illi visioni, vt Beatitudo perfecta est, quia beatitudo perfecta debet esse immutabilis. Potest à fortiori suaderi ex voluntate, quia charitate informata necessario amat Deum clare visum, ergo multo magis intellectus informatum lumine necessitatur ad videndum. Probatur consequentia, quia non minori impetu naturæ fertur intellectus in obiectum, & finem suum, quam voluntas in suum, & alioqui intellectus non est potentia formaliter libera, sicut voluntas.

Secundo sic potest declarari, quia intellectus in primo actu suo non pendet à voluntate, quia voluntas necessario supponit obiectum cognitum, & ideo primus actus intellectus semper est naturalis, vel per se, si talis actus ex natura sua, & per se sit primus, vel ex accidenti, si tantum per accidens hic & nunc sit primus. At vero illa visio per se, & natura sua est in suo ordine primus actus, & ideo cum primus elicetur, non potest pendere ab applicatione Suarez: De Deo trinuno.

voluntatis, volentis videre DEVM, quia illa visio per se nihil supponit, quod excitet voluntatem ad huiusmodi actum, ergo signum est intellectum informatum lumine, ex se, esse determinatum ad talem actum, & ideo non pendere ex applicatione voluntatis. Exemplum item esse potest in Angelo cognoscente se ipsum: nam quia ille actus natura sua est primus in illo ordine, est etiam quasi fundamentum omnium aliorum, imo etiam omnium actuum voluntatis Angelicæ, & ideo est ab intrinseco necessarius, & independens à voluntate Angeli, vt est communior opinio in prima parte, quæstione 58. Ad eundem ergo modum comparatur visio Dei ad Beatos, seu ad gratiam perfecto modo operantem.

Vnde etiam potest vltimo declarari, quia lumen intellectualem naturaliter determinatur ad suum primum, & connaturale obiectum, & maxime proprium, & ideo quilibet Angelus naturaliter intuetur se, & DEVS primario, ac per se necessario videt se ipsum, lumen autem gloriæ habet pro obiecto maxime connaturali, & primario essentiam Dei, naturaliter ergo determinatur ad visionem eius, & in hoc assimilatur lumini diuino per essentiam, cuius est altissima participatio. Ex quibus expedita est ratio dubitandi, quia neque omnis actus intellectus pendet ab applicatione voluntatis, neque necesse est, vt Deus eleuet intellectum ad hunc actum cum dependentia à voluntate, sed iuxta exigentiam, & naturam talis luminis, quod in hoc multum differt à lumine fidei: quod est obscurum, & à pia affectione pendens.

CAPVT XVIII.

An visio Dei sit cognitio quidditativa, & intuitiua Dei, habeatque omnes condiciones perfectæ scientiæ.

Ratio dubitandi esse potest, quia quidditativa cognitio rei simplicissimæ est comprehensiuæ eius, at visio Dei non potest esse comprehensiuæ illius, vt supra ostensum est, ergo nec quidditativa cognitio esse potest. Maior declaratur, quia vt aliqua cognitio quidditativa sit, debet totam essentiam rei manifestare vsq; ad vltimam quasi differentiam, seu rationem constitutiuiam eius, non potest autem amplius ad comprehensionem desiderari: maxime in Deo, qui nec causas habet, nec proprietates à sua essentia distinctas, vt ostensum est.

Dicendum imprimis est, cognitionem illam esse euidentem, & claram, ac certam, ac proinde perfectam scientiam Dei. Conclusio est certa, nam visio illa opponitur, obscuræ, & ænigmaticæ cognitioni, & dicitur esse facie ad faciem 1. Corinth. 13. vbi etiam habetur illud: *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.* & illud: *Cum venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Vnde colligimus visionem illam excludere obscuritatem fidei, ac proinde esse claram, & euidentem manifestationem Dei. Quod etiam satis declarauit Ioann. primæ epist. cap. 3. dicens: *Videbimus eum sicuti est,* nam verbum, *videndi,* cum alijs circumstantijs claram cognitionem dicit. Item est hoc necessarium, vt cognitio illa satiet appetitum hominis fidelis quærentis Deum: hoc autem præstat illa cognitio, iuxta illud Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et ideo etiam dicitur visio illa excludere spem ad Rom. 8. Ratione denique declaratur: quia illa cognitio non nititur aliquo medio extrinseco, neque auctoritate dicentis, neque probabili ratione, ergo fundatur in ipsa euidentia rei visæ in se, vt præ se fert nomen ipsam visionis. Probatur consequentia, quia impossibile est veritatem aliquam intelligibilem videri in se, & sine medio, nisi aperte, & clare. Adde, cognitionem illam

Ratio dubitandi.

Prima conclusio.

1. Cor. 13.

Ioan. 3.

psal. 16.

Rom. 8.

non solum esse euidentem, sed etiam euidentiorem omnia alia cognitione creata, etiam cognitione primorum principiorum, quod patet, tum ex perfectione principij, quia procedit à lumine perfectissimo, & altioris ordinis, tum ex parte obiecti, cuius veritas simplicissima est, & in se maxime clara, & vna. Vnde etiam fit, cognitionem illam esse certissimam, & summe infallibilem, quia omnis cognitio euidens est certa, & quoniam illa est euidentiore alijs, eo est certior. Item ostendit veritatem summe necessariam, ergo generat assensum summe infallibilem.

3. *Dubium.*

Hic vero inquiri potest, an sit certior fide, sed de hoc latius in proprio loco. nunc breuiter dico, quantum ad excludendam dubitationem ex parte obiecti, & periculum falsitatis esse illas cognitiones æquales, quia vtraque fundatur in diuina veritate, tamen quantum ad positiuam perfectionem visio illa potest dici certior, non solum ex parte subiecti, quod necessitat, & ab eo excludit omnem motum dubitationis, sed etiam, quia habet omnem perfectionem, quæ reperitur in fide, & aliquid amplius. Proccedit enim ex lumine supernaturali, & perfectiori, & fundatur in prima veritate, non loquente, sed in se existente, & manifestante totam suam primam veritatem, & essendi necessitatem, in qua fundatur infallibilitas, & certitudo fidei. Et præterea superat illa visio in euidencia, & quodammodo comparatur ad fidem, sicut scientia subalternans ad subalternatam, ostendit enim originem, vnde fides habet certitudinem suam. Est ergo visio non solum euidentiore, sed etiam certior.

4. *Secunda conclusio. D. Thom. Caiet.*

Dico secundo, visionem illam esse quidditatiuam, & intuitiuam cognitionem DEI. Ita sentit D. Thom. 1. p. q. 12. artic. 12. & 13. & in 4. d. 49. q. 2. art. 3. & qu. 8. de veritat. artic. 1. ad 8. & docet Caiet. d. q. 12. artic. 1. in principio, vbi recte declarat, quæ dicatur cognitio quidditatiua. Eam enim nihil aliud esse intelligimus, quam propriam rei cognitionem per essentiam, vel per propriam speciem eius: per quam de illa re cognoscuntur omnes proprietates essentielles eius. Nihil enim amplius desiderari potest ad quidditatiuam cognitionem: hæc autem omnia habet illa visio respectu DEI, vt ratio dubitandi in principio facta probat, & latius in capitibus sequentibus declarabitur. Atque hinc etiam constat visionem illam esse cognitionem intuitiuam. Quin potius addo contra Scotum in 2. d. 3. qu. 9. & in 4. d. 49. q. 11. non posse esse quidditatiuam cognitionem Dei, quin simul etiam sit intuitiua. Quod bene docuit Durand q. 3. prologi, & Capreol. in 2. d. 3. q. 2. ad argumenta contra 6. conclusionem, & d. 23. quæst. 1. Ratio est, quia non potest cognosci quidditatiue Deus, quin cognoscatur actu existere, quia de essentia eius est actu existere: cognitio autem intuitiua dicitur, quia videtur res vt existens, & sub omnibus conditionibus existentie.

5. *Scotus.*

Durand. Capreol.

6. *Assagium.*

Responderi autem potest, non satis esse ad cognitionem intuitiuam, quod cognoscatur res vt existens, nam de re absente possumus cognoscere euidenter eam existere, oportet ergo vt cognoscatur res vt præsens, posset autem aliquis per speciem cognoscere quidditatem DEI, & existentiam eius non tamen intueri illum vt præsentem. Sed hoc fieri non potest: quia licet per causam, vel effectum possit cognosci res vt existens, etiam si absens sit, & in se non videatur in se ipsa absque alio modo cogno, intelligi non potest absque præsentia rei, maxime si talis cognitio sit propria ipsius rei prout in se est. Deinde inquiri, quid nomine præsentia intelligatur, si enim est in distantia localis, hæc & necessaria non est ad intuitiuam visionem, vt patet in visu corporeo, & intellectu Angelico, qui intueri potest res etiam si loco distent, & præterea hoc non habet locum in Deo, qui cum sit immetentius, videri

non potest vt loco distans à vidente. Aut illa præsentia est obiectiua, & hæc deesse non potest respectu actus, quia fit per ipsammet visionem: ergo non potest esse visio rei existentis in se ipsa, & prout in se est, quin illa res sit obiectiue præsens intellectui per ipsam visionem.

Dices, hanc præsentiam in hoc consistere, quod obiectum per se ipsum adit potentia, & coniungatur illi ad efficiendam intuitionem sui. At hoc etiam reperitur in visione Dei, vt visum est. Et præterea falsum est, hoc per se requiri ad visionem intuitiuam vt sic, fieri enim potest per speciem obiecti, etiam si ipsum per se non fit intra ipsam potentiam, vt patet in visu corporeo, & cognitione intuitiua, quam vnus Angelus habet de alio, & ideo dixit D. Thom. Quodlib. 7. qu. 1. non obitare cognitioni immediatæ, ac intuitiua, quod fiat per speciem. Et ratio clara est, quia cognitio non habet, quod sit intuitiua formaliter ex principio efficienti, sed ex modo, quo terminatur immediate ad obiectum in se, & prout in se existit, & hoc habere potest, siue fiat per speciem, siue alio modo: est ergo visio Dei quidditatiua, necessario etiam intuitiua.

6. *Obiectio Responsi.*

7. *Ad ratio dubium.*

Ratio dubitandi in principio posita post discursum sequentium capitum tractanda est, est enim maxima difficultas huius materia. Nunc breuiter negatur sequela, quia plus ad comprehensionem requiritur, quam ad quidditatiuam cognitionem, quid autem illud sit, paulatim explicabitur. Nunc superest expedire nonnulla breuia dubia, quæ de proprietatibus illius visionis interrogari possunt. Vnum est, an illa visio sit cognitio simplex, & incomplexa: Quod tractant Ochamus in 4. quæstione 13. Et ibi supplement. Gabriel Sotus & alij distinct. 49. Dico tamen breuiter, esse simplicem cognitionem sine vlla comparatione, vel discursu. Est enim scientia altioris & diuini ordinis, vnde sicut Deus sine compositione videt prædicatum in subiecto, & eorum vnionem inter se, & effectum in causa, seu conclusionem in principijs, ita multo magis videt Beatus simplici intuitu omnia, quæ per eam scientiam cognoscit. Quod quidem maxime verum est de visione illa, quatenus ad Deum terminatur, nam, vt sic, etiam ex parte obiecti simplicissima est, quia in eo ostendit simplicissimam veritatem, in qua nulla est compositio. Si vero terminatur ad creaturam, etiam, vt sic, est in se simplex, quia per vnam simplicissimam & eminentissimam speciem ostendit omnia, ac denique est vnus, & idem actus simplicissimus cum ipsa visione Dei. Eminenter tamen continet vim compositionis, & discursus. Neque in hoc est vlla difficultas, quia licet homini sit naturale per compositionem, & discursum cognoscere, tamen supernaturaliter eleuari potest ad altioremodum cognoscendi.

8. *Primum dubium.*

Resolutio. Ocham. Gabriel. Sotus.

8. *Secundum dubium. Bonauent.*

Responsi.

Secundo solet inquiri, an hæc cognitio sit apprehensiua, vel etiam iudicatiua. Quia non solemus ferre iudicium, nisi componendo, & vnium alteri tribuendo. Vnde Bonauent. in 3. d. 14. artic. 1. q. vi. videtur distinguere visionem à iudicio: formidat enim concedere, eum, qui videt Deum, iudicare de ipso Deo, sed solum de sua visione, quod sit conformis Deo. Sed neque ipse persistit in ea sententia, nec dubitari potest, quin illa visio sit perfectissimum iudicium, quia per illam perfecte cognoscit Beatus, v. g. quod Deus sit, & quod sit perfectus, omnipotens, sed nihil aliud est per intellectum iudicare de aliqua re, quam cognoscere, quid illi rei conueniat, seu veritatem, quæ in illa reperitur. Item notitia iudicatiua non repugnat cum simplicitate, nos enim propter imperfectionem componimus ad iudicandum, Deus autem, & Angeli per simplices actus iudicat de quacumque veritate, siue in se simplex, siue composita sit, ergo idem facient Beati per illam visionem, quæ & est perfectior scientia, quam Angelica, & est eminenti-

Cap. XVIII. Visio Dei an sit cognitio quidditatiua, &c.

9. *Dubium 3. Ocham. Gabr.*
 nentissima participatio diuinæ scientiæ. Vnde ad hoc iudicium non oportet intelligere reflexionem illam, & quasi comparationem visionis ad obiectum, sed satis est directa cognitio perfecta ipsius obiecti, de quo iudicatur, quod, & quale sit.

Tertio quaeri solet, an illa visio sit directa tantum, vel etiam reflexa. Nam Ocham supra quaest. 13. art. 10. quem sequuntur Gabriel in 3. d. 14. Et Supplementum eius in 4. d. 49. negant illam visionem esse reflexam, sed tantum directam, existimantes non posse has duas rationes eidem actui conuenire. Quia, vt notitia sit reflexa, existimant necessarium esse, vt sit etiam complexa. Vnde inferunt posse aliquem esse Beatum videndo Deum, qui omnino ignoret, se videre Deum & se esse Beatum. Nam hæc cognitio includit actum reflexum, qui cum sit à visione distinctus, erit ab illa separabilis. Mihi autem imprimis falsum videtur notitiam reflexam debere esse necessario per compositionem, quia nulla est ratio, vel fundamentum, propter quod talis necessitas asseratur. Item quia alias Angeli non possent reflexionem facere super suos actus, nisi componendo, quod est friuolum, nam si alias veritates possunt cognoscere simpliciter, cur non hæc, scilicet, scire se cognoscere? Denique diuina scientia eminentissime continet reflexionem & cognitionem sui cum summa simplicitate: Vnde valde probabile iudico illam visionem intime, & per se ipsam esse reflexam, ita vt non possit Beatus videre Deum, quin videat, se videre. Nulla est enim ratio, cur hoc repugnet eidem actui: nam sicut lux manifestando alia, se etiam manifestat, ita facit hoc intelligi potest in eodem actu intellectus, imo hoc maxime pertinet ad perfectam claritatem, & certitudinem eius. Adde, hoc etiam spectare ad perfectionem Beatitudinis, & per se esse maxime credibile de illa visione, quæ participatio diuinæ scientiæ est in supremo gradu, & ordine. Atque ita sentit Bonauentura 3. d. distinct. 14. artic. 1. quaest. 3. ad vltimum.

10. *Quartum dubium. Scotus.*
 Quarto interrogari solet, an illa visio sit scientia practica, vel speculatiua, vel vtrunque simul. Sunt enim opiniones variae. Prima affirmat tantum esse scientiam practicam, quia est regula voluntatis, quam mouet ad operandum, & dicat, quid secundum rectam rationem agendum sit. Sic Scotus in prologo quaest. 4. vbi non loquitur in particulari de visione, sed de Theologia, & de quacunq; cognitione creata Dei, imo idem probabile censet de increata scientia, quam Deus habet de se, de qua infra lib. 3. dicemus.

11. *Secunda opinio. D. Thom. Palud. Scotus. Caietan. Richardus.*
 Secunda opinio est, illam scientiam tantum esse speculatiuam, quia est de obiecto non operabili à nobis. Quæ tribuitur D. Thomæ 1. 2. q. 3. artic. 5. & sumitur etiam ex eodem 2. 2. q. 181. artic. 4. Citatur etiam Palud. in 4. d. 49. qu. 3. artic. 2. Ille tamen in Beatis ponit scientiam speculatiuam, & practicam, vt necessariam ad integrandam Beatitudinem, & fatetur visionem ipsam esse scientiam speculatiuam: dubium tamen relinquit, an practica sit ab illa distincta nec ne. Est ergo tertia opinio, quod simul sit practica, & speculatiua, sicuti Diuus Thomas docuit de Theologia 1. part. quaest. 1. artic. 4. Sic Caietan. 12. quaest. 3. artic. 5. Scot. 4. distinct. 49. quaest. 1. artic. 4. vbi Richardus artic. 1. quaest. 8. idem sentit. Differt tamen ab alijs, quia existimat illam visionem principaliter esse practicam, quæ speculatiuam, quia principaliter ordinatur ad amorem. Alij de contrario dicunt principaliter esse speculatiuam, quia primum illa est, quod sit quidditatiua cognitio naturæ diuinæ, & vt sic, est speculatiua, hinc vero consequenter habet, quod sit affectiua, seu directiua voluntatis, ex quo habet, quod practica sit.

12. *Hæc disceptatio solum de modo loquendi esse fo-*

79 *Lectionis 111.*
 let, ideoque ita videtur breuiter expedienda. Considerari enim potest illa visio, vel vt est de Deo ipso, vel vt in illo, & per illum aliqua alia manifestare potest. Priori modo dico esse simpliciter, & omnino speculatiuam, quia est suprema contemplatio primæ veritatis, & est de re nullo modo operabili à vidente. Imò licet simul videatur Deus vt dignibilis ab ipso vidente, & ideo respectu amoris videatur esse de re operabili, & regulabili ab ipso. Nihilominus etiam sub illa ratione non censeo esse practicam, vt infra etiam de ipsa scientia Dei dicam. Quia nec est practica per modum artis, seu scientiæ factiua, quia non docet, quomodo sit eliciendus amor, seu physice faciendus, vt per se constat, nec est practica per modum prudentiæ, quia ille amor necessarius est, vnde non regulatur per prudentiam, sed per suum obiectum, vnde illa visio non excitat amorem practico modo, sed per solam contemplationem obiecti applicando illud.

131 *D. Thom.*
 At vero prout illa visio iudicat de aliquibus actionibus extra Deum, potest esse practica. Primo per modum prudentiæ, quatenus per illam visionem iudicare potest Beatus de alijs rebus agendis, vel vitandis secundum diuinam rationem, seu voluntatem. Secundo per modum artis, quia illa visio conferre potest cognitionem, quæ de se sufficit ad dirigendam artificiosam operationem. Neque enim est inconueniens, vt scientia altioris ordinis vtrunque rationem complectatur, præsertim cum ex vi primarij obiecti speculatiua sit, practica vero solum circa secundarium obiectum. Ex quo intelligere licet, visionem illam, quatenus formaliter pertinet ad Beatitudinem essentialem, esse tantum speculatiuam, & non practicam, & hic est sensus Diui Thomæ 12. quaest. 3. artic. 5. Quia illa visio non est Beatitudo, nisi prout terminatur ad rem increatam: quia solum obiectum increatum est Beatitudo obiectiua essentialis, vt in 1. 2. loco citato latius tractandum est.

CAPVT XIX.

Sit ne Dei visio eiusdem speciei essentialis in omnibus Beatis, ita vt Deus vno tantum modo visibilis sit.

Hæc quaestio, ad declarandam amplius perfectionem illius visionis, & hoc attributum inuisibilitatis DEI conferre potest. Supponimus autem visionem illam, & ratione obiecti excedere in perfectione essentiali omnes cognitiones aliarum rerum extra Deum, & ratione modi essentialiter differre ab omni cognitione Dei, qua non videtur Deus, prout est in se, eamq; superare. Quæ duo, & per se nota sunt, & ex discursu capitis sient notiora. Inquirimus ergo, an in illa visione sit essentialis diuersitas.

2. *Opinio 1.*
 Primus dicendi modus esse potest, esse in illa visione specificam diuersitatem, ita vt omnis Beatus, qui perfectiorem habet Beatitudinem: habeat etiam visionem essentialiter perfectiorem. Primo quidem, quia vnus videns Deum, est essentialiter beator alio, sed essentia Beatitudinis est in visione, ergo oportet, vt is, qui beator est, habeat visionem essentialiter perfectiorem, alioqui non esset essentialiter beator, sed accidentaliter. Secundo possumus argumētari, quia visiones non eodem modo manifestant Deum, sed quædam ostendit ipsum cum habitudine ad plures creaturas, quam alia, quæ diuersitas non potest oriri nisi ex specifica distinctione, vt videtur, ergo. Probatur minor, quia visio est imago quædam rei cognitæ; siue illa sit Deus, siue creatura, sed non videtur posse intelligi, quod duæ res omnino eiusdem speciei, & in se indiuisibiles in entitatibus suis, sint imagines rerum di-